Deo opt. max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & sancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

1678) Liasse 1378

QUÆSTIO MEDICA.

Quodlibetariis Disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum die Jovis 7. Decembris.

M. JOANNE MICHAELE GARBE, Doctore Medico, Præside.

Nullusne præcellens nisi præstanti naturâ Medicus?

MEDICI nomine innumeri, re autem pauci: ut ex omnibus artibus, quæ ad vitam sunt, nulla est Medicinâ præstantior; hanc laudem delibare ferè omnes amant. Te vel solo dentium dolore torqueri simules; in aulâ, in urbe, in agris, quot homines videris, tot experieris Medicos. Quàm multi præterea sint, qui eam jure an injuriâ profitentur, omnibus compitis parietes testantur. Hanc videlicet personam induere cui hodiè non licet? Aperta modo taberna est, ubi venalis prostat. At personato Medico verus ac perfectus quid interest? Ille omnia spondet, nihil præstat; hic plus præstat, quàm in se suscipit: ille quod in buccam venit fastosè deblaterat; hic verbum cavet emittere, quod revocare laboret: ille ne in rebus dubiis hærere videatur, nihil intentatum relinquit; hic etiam in certis mavult cunctator, quàm præceps videri: Ille si dolosi spes affulserit nummi, nec sceleribus abstinet; hic puras habere manus sibi lucro apponit: ille famam apud ignotos quærit verbosis strophis; hic de civibus benè merendo benè audire studet. Uno verbo verus ac perfectus Medicus est vir bonus medendi peritus. Itaque nisi qui modestiæ, pudoris, temperantiæ, liberalitatis, prudentiæ, gravitatis, ingenii, eruditionis laude floruerit, Medicum statuas esse neminem. At hanc bonarum artium turbam consociare difficile est: ne igitur mirere Medicorum paucitatem. Quid itaque esse censeas quoddam hominum genus, qui medendi jus nescio quo titulo sibi arrogant; quos tamen nec viros bonos quisquam putet, nec Medicinæ peritos? quovis nomine appellaveris; modò eos verè Medicos esse non concedas.

ET certè utcunque ferax sit Medicinæ campus; non omnibus tamen ex ejus culturâ suus honos venit: aliis seminum copia; aliis serendi ratio deest. Quidam videlicet singulari quodam remedio instructi ad Medicinam faciendam accedunt; plantarum virtutes, vim mineralium, humani corporis, totiusque mundi fabricam ignorant. Quid mirum, si primis Medicinæ elementis destituti nullum medendo ad communem utilitatem fructum afferre possunt? Hæc autem semina, ut pleniora sint, ex bonarum artium succo vim quandam traxerint necesse est. Mox ubi habent jam suam maturitatem; ea disseminari, hoc est in communem usum proferri, convenit. Quod periculosæ plenum opus aleæ quantâ sapientiâ indiget! præterita nosse oportet, observare præsentia, futura præsagire: habenda ratio loci, temporis, personarum: noscenda cujusque studia ac mores: non ægra tantùm corpora, sed exulceratæ mentes ad sanitatem revocandæ. Cùm iracundis blandè, cùm meticulosis confidenter, cùm contumacibus callidè, cùm dolentibus jucundè agere. Absit tamen in risu verbisque petulantia; absit libidinis, intemperantiæ; absit avaritiæ suspicio, quæ irritabiles ægrorum animos facilè alienet. Sed oris gravitas, morum sanctitudo, verborum fides necessariam auctoritatem conciliet; modestia gratiam; humanitas benevolentiam. Hæc à medendi ratione ne putes aliena, sine quibus stare non modo Medicinæ dignitas, sed & ipsa nullatenus potest. Ad honestæ enim matronæ cubile accedat titubantibus vestigiis temulentus Medicus, minio rubenti facie, vinum spirantibus oculis; scilicet hanc speciem feret? Mox ubi immundo halitu omnes conspurcavit; fluentibus buccis, voce pressâ remedium imperet; quis fidem habeat? Quinetiam rectam ac honestam corporis formam in Medico ipse Hippocrates desideravit; adeò ut Medicinæ templo eliminandi videantur abortivi pusiones & cadaverosâ facie deformes, quos ad terriculamentum hominum, nedum subsidium videtur natura comparasse.

ILLÆ autem virtutes, ex quarum mixturâ perfecti Medici species exurgit, an ab alio fonte, quàm ab ipso nascendi principio oriuntur? Primùm illi summi viri, quorum de rebus Medicis doctrina celebratur, nonne hodiè ignoti jacerent in tenebris; nisi habitu naturæ propè divino præ cæteris extitissent? At laboris tantùm pretio Deus venales artes proposuit: esto sanè; at hæc patiens laboris sedulitas sedati atque industrii animi, quem quisque est nascendo sortitus, dos optima est. Jam verò victrix fati sapientia, quâ, omnes Medicinæ partes, velut animâ, reguntur; nonne ipsa donum est cum vitâ, quasi divinitus datum? Hæc non humanâ industriâ, non arte magistrâ provenit, nec, cum natura repugnat, aut Medicorum præceptis, aut Chymicorum experimentis, aut Philosophorum sententiis comparatur. Hinc quibus recta mens deest, ii faciunt sæpè ut multa intelligendo, nihil intelligant; & cùm sapere multùm didicerunt, paulò stultiores factos se probent. Quod autem aliqui ita vivunt, ut eos ab optimis studiis nec libido abstrahat, nec cibi potusque voluptas revocet, nec somnus retardet, nec auri cupiditas impediat; benè se natos gaudeant. Nec verò eam morum facilitatem plenâ comitatis gravitate temperatam, quæ humanæ vitæ condimentum est, aliundè quàm à naturâ profectam putes. Inconcinna gravisque rusticitas fera est; quæ mansuescere penitus nescit; ubi minimè caves, rursum ad ingenium redit. Quid enim dicam de formæ dignitate, quam de se præstare nemo potest, nisi hanc parentibus, aut summo rerum parenti acceptam esse referendam.

SCILICET in nobis natura, ut plurimum dominatur; licèt huic adversemur nonnunquam, vimque inferamus, nonnunquam etiam arte opitulemur. At eam prorsus immutare fas non est. Quid enim naturæ nomine intelligamus, præter subtilissimam partium fabricationem & laudabilem temperiem, à quibus omnis motus in corpore oritur? Quæ cum in diversis hominibus diversæ sint; hinc ingeniorum, affectuum, temperamentorum mira varietas derivatur. Quemadmodum enim in variis machinationibus, quæ æquali fluminis impetu moventur, motus sunt concitatiores, quò rotis latioribus cæterisque partibus majore vi elasticâ contentis cientur; ita & mens nostra pro cerebri justâ capacitate aut spirituum robore ac nisu, meliùs ac faciliùs intelligit. Hic præstantioris ingenii fons; hinc ad summam eruditionem facta indoles profluit. Ubi verò ille spirituum ardor humoris melancholici gravitate ita temperatur; ut eorum acies nimium non obtundatur; adest judicii maturitas, cum ingenii acumine conjuncta. Absit præterea ab iis partibus, in quibus libido excitatur nimia salacioris cujusdam fermenti copia; aderit pudor: non acidiori succo siticulosæ fauces arescant; aut jejunus allatret ventriculus; aderit cibi potusque temperantia: non bilis turgeat; aderit humanitas: non lien melancholiâ exundet; aderit comitas. Quemadmodum & ex corporis partium congruâ inter se conformatione ac sanâ temperie pulchritudo ac formæ elegantia exurgit.

FRUSTRA ergo ad perfecti Medici palmam aspiraverit, quem nascentem, non ut bona parens, sed ut noverca, natura respexit. Nisi enim fundamenta posita sint; insanas attollere substructiones quid juvat? Quò altior moles, eò major ruina. Ita si intelligentia, judicium, probitas desit; quò quis in medendo plus operæ collocabit, eò majorem stragem edet in vulgus. Errant videlicet, qui solius experientiæ finibus Medicinam coercent, nec dominam ab ancillâ secernunt. Fatendum tamen quod res est: non tantùm servit utiliter; sed ejus ministerio carere hera non potest: magno hinc apud ipsam in pretio est. At hæc propriè Medicum non facit, si ratione ac consilio, optimisque artibus destituta sensuum imperio regitur. Est, ut in Picturâ atque Poësi, ita & in Medicinâ fœlix quædam indoles, sine quâ nihil magnum efficere ars possit. Imò sæpius videas ad aliquam medendi laudem naturam sine doctrinâ, quam sine naturâ valere doctrinam. Ast ubi excellens ac Medica, ut ita dicam, natura adjunxit sibi adjumenta doctrinæ; tùm nescio quid præclarum atque singulare solet existere.

Ergo nullus præcellens nisi præstanti naturâ Medicus.



DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Bertinus Simon Dieuxivoye.
M. Erasmus Emmerez.
M. Ioannes Boudin.
M. Michael de Hodencq.
M. Pontius Maurin.
M. Franciscus Maillard.
M. Petrus Legier.
M. Franciscus Sorand.
M. Nicolaus Rainssant.

Asserebat Parisiis JOANNES-BAPTISTA DOYE, Parisinus Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1684.